

nerat, ut vasa viventium servares, quam metallorum. Si dicis: Timui, ne templo Dei ordinatus deesset: Respondebit Christus; Ornatus sacramentorum, redemptio est captivorum: et vere illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas a morte: siquidem ad sublevandam pauperum necessitatem, vasa Ecclesiæ etiam iniuncta, confringere, conflare, vendere licet, » can. *Gloria episcopi*. 71. ead. caus. et q. Summarium sic habet: « Non parietes Templi ornare, sed pauperibus providere gloria episcopi est. » Textus vero ita sonat: « Gloria episcopi est pauperum inopiæ providere; ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis: » et infra: « Accepisse, quod pauperibus erogandum sit, et esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum, aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. » Huc quædrat illud, quod Isidorus Pelusiota in epistola ad Eusebium episcopum illis verbis scribit: « Aiunt, te Ecclesiam Pelusii ædificare arte atque opere quidem pulcherrimo, sed iniquis rationibus, perque summam injuriam, ac magno pauperum malo, quorum impensis opus facis; quod profecto nihil aliud est, nisi Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitatibus ædificare. »

68. *Et ratione.* — Ratio conclusionis est; quia existentibus in gravi, vel extrema necessitate pauperibus ipsi etiam laici, de bonis suis, quorum tamen perfectum ac illimitatum dominium habent, subvenire pariter tenentur, ita ut juxta unanimem doctorum obligationi suæ non satisfaciant, si neglectis in gravi, vel extrema necessitate pauperibus, bona sua aliis piis locis, vel causis tribuant; ergo multa magis tenentur clerici hujusmodi pauperibus subvenire de bonis ecclesiasticis superfluis, utpote quæ alias jam dicuntur, et sunt « Patrimonium pauperum, » et ad quæ pauperes tempore dictæ necessitatis majus jus, quam alii ad bona laicorum habent.

69. *Pauperibus, quibus aliunde providetur, non tenentur de bonis superfluis succurrere clericis.* — Dicitur autem notanter in conclusione: « Nisi sciant dictis pauperibus aliunde jam provideri, vel esse provisum. » Hoc enim in casu: non tantum conscientiæ satisfacere, et laudabiliter agere clericos, si bona sua superflua ad alias causas pias impendant, nemo dubitat, hoc ipso, quod in tali casu cesset necessitas pauperum, et ratio

eis succurrendi. Hinc can. *Pulchra*. 18. dist. 86 dicitur: « Pulchra etiam liberalitas est, in ipso quoque pauperis dato mensuram tenere, et quantum oporteat largiri pauperibus non superflua, sed competentia, » quia, uti can. *Dominus*. 13. ead. dist. habetur: « Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari; » consequenter jam sufficienter provisus ulterius non tribuere.

70. *Doctrina practica contra clericos bona superflua in futurum reservantes.* — Cæterum ex conclusione colligitur in conscientia minime securos esse illos clericos, qui licet pauperes in gravi, vel extrema necessitate existentes plures sciant, eis tamen parum vel nihil tribuunt, palliata pietate se excusantes, se bona superflua in futuram reservare, et congregare, pro majori Dei gloria, pro fundandis videlicet beneficiis, anniversariis, vel similibus piis causis. Quamvis enim pia ac meritoria, hæc sit cogitatio, et intentio, dum nulli existunt pauperes gravem, vel extremam necessitatem patientes, vel si existentibus aliunde jam sit provisum. Neququam tamen pia sed impia potius erit, si neglectis, et sine ulla cura habitis, existentibus dictis pauperibus, nullam provisionem aliunde habentibus, hujusmodi servatio fiat, aut conservatio. In quo puncto multi clerici non sine animæ periculo graviter decipiuntur, et errant.

71. *Inter pauperes præferuntur magis indigentes. Inter pariter indigentes magis justis, et cæteris paribus consanguinei præferuntur.* — Resp. III. Inter ipsos pauperes si sunt præferendi, qui magis indigent: inter pariter egentes præferuntur magis justis; item qui mendicare merito erubescunt: cæteris autem paribus, consanguinei primum locum obtinent. Caret controversia. Et quidem, quod potius ac prius succurrendum sit magis indigentibus, dicitur lumen naturale, patetque clare ex can. *Consideranda*. 17. dist. 86. ibi: « Consideranda est etiam in largiendo ætas, atque debilitas: nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, ut senibus plus largiaris, qui suo labore jam non queunt victum querere. Similiter et debilitas corporis, et hæc juvanda promptius. » Quod verò inter æqualiter egentes justis præcedant, clare habetur can. *Non satis*. 14. dist. 86. illis verbis: « Nam etsi omnibus debetur misericordia, justo tamen amplius. » De mendicare erubescuntibus constat ex cit. can. *Consideranda*, illis verbis:

« Nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales: » Huc faciunt etiam ultima verba ejusdem can. *Consideranda*, ibi: « Tum etiam, si quis ex divitiis cecidit in egestatem. » De consanguineis tandem patet ex can. *Cæterum*. 20. dist. 87. ibi: « Cæterum Dei traditio est, ut prius pascas parentes » et can. *Est probanda*. 17. ead. dist. ibi: « Est probanda etiam illa liberalitas, ut proximis seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab alienis sumptum deposcere. » Concordat, can. 1. dist. 30. et ibi: Glossa, §. *Fideles*. Ratio est, quia consanguinei duplicem titulum paupertatis nempe et sanguinis habent; consequenter cæteris paribus potius juvandi sunt, quam alii.

72. *Clerici non possunt de bonis ecclesiasticis pauperes, sive consanguineos, sive alios ditare, vel ad majorem statum exaltare.* — Resp. IV. Quamvis juxta dicta clerici de bonis ecclesiasticis superfluis possint et teneantur pauperibus succurrere, debent nihilominus etiam in his succurrendo modum servare, ita ut ex dictis bonis nec consanguineos nec alios pauperes ditare, vel ad majorem statum exaltare, aut plus, quam ad conditionem et decentiam status necessarium habent, conferre sine peccato non possint. Omnes, clare concil. Trident., sess. 25. *de Reform.* cap. 1. ubi episcopis, et aliis clericis beneficiatis « omnino interdicit, ne de redditibus Ecclesiæ, consanguineos, familiaresve suos augere studeant: cum et apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant. » Concordat, can. *Est probanda*. 16. dist. 86. ubi conceditur quidem, ut pauperibus consanguineis de bonis ecclesiasticis succurratur, « non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes inopibus conferre. Neque enim propterea te Domino dedicasti, ut tuos divites facias putantes se parum poscere? pretium tuum quærent: vitæ tuæ fructum adimere contendunt: et accusant, quod eos divites non facias; cum te illi velint æterne fraudare mercede. » Quod si autem de bonis ecclesiasticis nec consanguineos, multo minus extraneos pauperes augere, vel ditare licebit. Hinc quibuscunque pauperibus loquendo, « Quantum oportet largiri, non superflua, sed competentia, » vult can. *Pulchra*. 18. dist. 26. « Nam pulchra liberalitas est, in ipso quoque

pauperis dato mensuram tenere, » cit. can. *Pulchra*: præsertim « cum dominus non velit simul effundi opes, sed dispensari. » can. 15. dist. 86.

73. *Cæteris paribus potius Ecclesiæ propriæ, quam piis locis eroganda, vel relinquenda, sunt superflua clerici.* — Resp. V. Cæteris paribus, et pauperibus præfatis non existentibus, vel aliunde jam provisus, si non obligatorium, saltem summe decens est, ut clericus bona ecclesiastica superflua det, vel relinquat propriæ Ecclesiæ, in qua beneficium habuit. Ita Lugo, *de Justit. et jur.* disp. 4. sect. 3. n. 38. cum communi aliorum, arg. c. *Ut unusquisque*. 3. h. t. ubi præcipitur, « ut unusquisque presbyter res, quas post dies consecrationis acquisierit, propriæ relinquat Ecclesiæ. » Concordat, c. fin. eod. et c. 1. ac c. *Cum in officiis*. 7. *de Testament.* ubi pariter statuitur, ut clerici bona ecclesiastica propriæ relinquat Ecclesiæ. Ratio desumitur cit. c. VII. *de Testam.* « Cum in officiis charitatis primo loco illis teneantur obnoxii, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse: e contra quidam clerici cum ab Ecclesiis suis multa beneficia receperint, bona per eas acquisita, in alios transferre præsumunt, » etc. « Nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive alii conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere. »

74. *Error aliquorum circa hoc.* — Hinc minus perfecte et meritorie agunt illi clerici beneficiati, qui ex privata aliqua devotione, relatione minus rationabili, bona superflua in vivis applicant, vel post mortem per testamentum relinquunt aliis locis, vel causis, quæ casu vident Ecclesiam propriam valde pauperum, æque vel magis indigentem esse, decentibus vasis ac ornamentis carere, vel non habere sufficientia ad ministros sufficienter sustentandos, luminaria et sartatecta conservanda, etc. vel esse gravatam debitis, ruinæ proximam, etc. Certe Lugo, loc. cit. in similibus circumstantiis non tantum decens, sed ob obligatorium judicat, Ecclesiæ propriæ præ aliis locis, causisque piis superflua ecclesiastica relinquere.

75. *Si Ecclesia propria non manget, recte aliis piis locis egentibus superflua dantur.* — Dicitur notanter in conclusione « cæteris paribus. » Siquidem in casu disparitatis, quo Ecclesia propria alias jam abundat, vel saltem sufficienter jam provisiva dignoscitur non

tantum licite, sed etiam ordinate magisque meritorie agit clericus, si aliis magis indigentibus piis causis et locis bona ecclesiastica erogat, vel relinquat, arg. cit. can. *Pulchra*. 48. dist. 86.

76. Quæres IV. sit, ac dicatur, et quomodo dijudicari debeat honesta sustentatio clerici? Merito hæc quæstio hic subjungitur, cum enim juxta dicta nonnisi honestæ sustentationi superflua in causas piæ erogare teneantur clerici, scire utique oportet, quænam sit, ac dicatur honesta clericus sustentatio. Hinc Resp. I. Honestæ et congrua clericus sustentatio ea est, et dicitur, quæ spectatis omnibus prudenter spectandis, puta personæ ejusque dignitatis, qualitatis, gradus, doctrinæ, etc. item temporis, regionis, et consuetudinis locorum nec excedit, nec deficit in iis, quæ pro re domestica, œconomia, famulatu, victu, vestitu, etc. expendere ordinarie solent, et judicio prudentum, ac proborum possunt aliæ, similis conditionis, ac timoratae conscientia, personæ, Sanchez, lib. II. consil. cap. II, dub. 41; Molina, disp. 35; Engel, in *Manual. paroch.* p. IV. c. IV. num. 18; Marchant., tom. II. tract. II. tit. IV. sect. 2, q. 4; appendice 2; Barbosa, l. III. *Jur. eccles.* un. cap. XIII, n. 183, et communis aliorum, quibus etiam in *Theologia nostra morali*, tract. XI, dist. 2, n. 5. jam adhæsimus. Patetque conclusio ex variis juris textibus, ut can. fin. caus. 1. q. 2. can. *Vulgeranæ*. 25. caus. 12. q. 2. c. *De multa*. 28. in fine, *de Præbend.* can. *Consuluit*. fin. dist. 74, cum concordantia, ubi aperte disponitur, ut juxta diversitatem circumstantiarum, nobilitatis, scientiæ, meritorum, etc. stipendia ecclesiastica assignentur. Ratio est, quia talis prudenter præsumitur fuisse intentio ac voluntas dantium et fundatorum; hoc ipso, quod ubique ratio et ordo stipendiorum habenda sit, l. *Non omnes*. 5. ff. *de Re militari*.

77. *Doctrina practica*. — Infertur primo, cæteris paribus plus pro honesta sustentatione competere episcopo, quam præposito vel decano: plus huic quam canonico simplici: plus canonico cathedralis, quam, Ecclesiæ collegiatae; plus parochi, quam simplici beneficiato non canonico, prout bene advertunt doctores citati, præsertim Lugo, loc. cit., n. 34, arg. citatis juribus, specialiter c. fin. dist. 74. ubi plus assignatur presbytero quam diacono beneficiato. Quod idem docet Glossa, in can. fin. caus. q. 2. vers. *Meritum*.

78. *Nobilibus*. — Infertur secundo, in dijudicanda honesta clericus sustentatione attendendam etiam esse qualitatem personæ, præsertim vero nobilitatem, ac scientiam, ut proin plus pro honesta sustentatione concedatur nobilibus, ac litteratis, quam nobilitate ac scientia speciali carentibus, prout præter communem doctorum bene advertit Glossa, in c. *Conquerente*. 6. *de Cleric. non resid.* vers. *Sufficiencia*, arg. c. *De multa*. 28. ad fin. *de Præbend.* Ratio est, quia ita qualificati plus honoris et utilitatis conferunt Ecclesiæ, quam alii. *Sublimes* enim seu nobiles clericus sua nobilitate, excellentia, auctoritate, etc. honorem, splendorem, et æstimationem non modicam tribuunt Ecclesiæ, indeque proportionato stipendio rationabiliter et merito honorantur, ne alias Ecclesia, quod eidem turpe valde ac indecorum foret, ob exiguitatem sustentationis nonnisi viles, abjectas, et plebeias personas pro suo ministerio habere cogatur, arg. can. *Consuluit*. fin. dist. 74.

79. *Et litteratis major debetur sustentatio, quam aliis. Litterati comparantur nobilibus*. — Insigniter *Litterati* vero præter honorem, magnam etiam doctrinam ac labore suo conferunt Ecclesiæ utilitatem. Cum horum vel unus tantum ignorantes instruendo, et docendo, hæsitantibus et anxii consulendo, leges et canones interpretando, jura Ecclesiæ defendendo, ejusque membra ab erroribus, indeque subsequentibus confusionibus, et damnis tuendo, plus prosit Ecclesiæ, quam multi alii solida doctrina non imbuti, ut proin quoad collationem beneficiorum, honorum, ac stipendiorum a sacris canonicis c. *De multa*. 28. *de Præbend.* hujusmodi insigniter litterati, sublimibus, ac valde nobilibus merito æquiparentur, et pinguiori quam alii sustentatione etiam inde judicentur, quod non tantum turpe ac indecorum, sed insuper summe nocivum Ecclesiæ foret, doctis carere, ac insciis turgere ministris. Accedit, quod scientia etiam nobilitet; uti advertit Glossa, in cit. c. *De multa*. 28. *de Præbend.* §. *Sublimes*. arg. l. I. ff. *de Var. et extraord. cog.* Intelligunt autem jura, et doctores per litteratos, solide et insigniter doctores; non vero leviter tantum, et obiter, vel mediocriter tinctos; cum hi sicut nullum splendorem, vel honorem, ita nullam vel certe modicam conferant Ecclesiæ utilitatem; consequenter majori propter litteraturam præmio digni non sint.

80. *In computanda honesta sustentatione attendi etiam potest ac debet circumstantia temporis et loci*. — Infertur tertio, in computandis necessariis sustentationi honestæ, attendendam quoque esse circumstantiam temporis, et locorum: sicut enim uno tempore, unave in religione, victualia, aliæque necessaria nonnisi magno, aliis vero temporibus, aliisve in locis, levi acquiri possunt pretio; ita certe clerico certis temporibus ac locis quædam sunt necessaria, quæ alio tempore, vel loco superfluant; prout citati doctores bene advertunt, indeque infertur clericos præfatas circumstantias in computandis honestæ sustentationi necessariis debere conscientiose examinare, ut sicut caro tempore majorem ita caritate cessante, minorem honorum ecclesiasticorum quantitatem pro honesta sustentatione computent.

81. *Sicut etiam consuetudo prudentium, ac timentium Deum*. — Infertur quarto attendi etiam posse et debere rationabilem loci consuetudinem, adeoque tantum pro honesta sua sustentatione clericum expendere licite posse, quantum alii ejusdem conditionis prudentes, et Deum timentes clerici in eodem loco expendere solent. Ita doctores communiter, præsertim Molina, disp. 35. § *Quartum*. et Lugo, *de Justit. et jur.* disp. 4, sect. 4, n. 55, arg. c. fin. *de Consuetud.* et can. *In his*. 7. dist. 11. Dicitur autem notanter, « prudentes et Deum timentes clerici: » cum enim rem non intelligentes, ex ignorantia facile errare possint; Deum vero parum timentes, sæpe errare, et sacros canones transgredi soleant, nec hi nec illi regula sequenti esse possunt. Et quoniam his perveris sæculi temporibus, iniquissimæ corruptelæ multis in locis irrepserunt, non paucis pro universali regula, et principio habentibus, id sibi licere, quod ab aliis, vel alibi practicari vident, caute cuius salutis suæ sollicito in puncto consuetudinis erit procedendum, nec passim agendum, quod ab aliis fieri videt; « quamvis enim consuetudinis non vilis sit auctoritas, non tamen usque adeo valet, ut vel juri positivo præjudicium gereret, nisi fuerit rationabilis, vel legitime præscripta, » qualis certe non est consuetudo plurium clericorum, qui terminos honestæ sustentationis transgrediendo, bona ecclesiastica superflua ad causas profanas contra jus divinum applicant.

82. *Hospitalitas quoque, honesta recreatio, ac alia ad sustentationem decentem pertinent*.

Resp. II. Ad honestam sustentationem etiam pertinent ea, quibus clericus indiget ad exercendam debitam, et moderatam hospitalitatem, non solum erga pauperes peregrinos (quæ inter maxima pietatis opera numerata, clericis summe commendatur a concilio Tridentino, sess. 25. cap. VIII.) sed etiam erga consanguineos, et extraneos non pauperes juxta qualitatem beneficii, et modestiam status ecclesiastici, Lugo, *de Justit. et jur.* disp. 4, sect. 4, num. 66; Molina, disp. 35. § *Tertium*; Sanchez, lib. II. *Concil.* cap. II, n. 4, arg. c., *de Monachis*. 12. *de Præbend.* et ibi Glossa, vers. *Hospitalitatem*. Ratio est, tum quia clerici ad hospitalitatem maxime tenentur, Glossa, loc. cit. arg. § 1. dist. 83; tum quia idem faciunt, qui alias moderate se sustentant; uti advertit divus Thomas, quodl. VI. a. 23, ad ultimum; Navarrus, *Corduba*, et alii, qui ob dictam rationem etiam docent ad honestam sustentationem illa quoque spectare, quæ ad honestum, et moderatum convivium amicis subinde instituendum, moderatam donationem gratitudinis vel remunerationis causa faciendam. Item quæ ad honestam clericus recreationem sunt necessaria. Non enim ad omnino parcam, vel avaram, sed honestam, decentem, et moderatam sustentationem, jura et fundatores obligare intendunt clericum. Item ad honestam sustentationem spectant pauperes parentes, fratres, ac consanguinei, arg. can. 39, dist. 50; Vallensis, tit. *de Concess. præbend.* et alii.

83. *Clerici in computanda sustentatione sua debent esse memores, quod vivant de patrimonio Christi et pauperum, sive de elemosyna*. — Resp. III. Quamvis, ut ex dictis patet, honesta clericorum sustentatio non consistat in indivisibili, sed diversa sit, major et minor, pro diversitate circumstantiarum, dignitatis, personæ, qualitatis, temporis, loci consuetudinis rationabilis, etc. Nihilominus omnes et singuli, præsertim nobiles, ac in dignitate constituti clerici semper, et ubique in puncto sustentationis memores esse debent se membra status ecclesiastici esse, « de patrimonio Christi, et pauperum vivere, populi peccata comedere, » consequenter de dicto Christi et pauperum patrimonio penitus nihil ad ea, quæ pompam, luxum, fastum, aut vanitatem sæculi, vel abundantiam sapiunt, sed id solum, quod ad moderatam, modestam, decentem, et frugalem sustentationem requiritur, ac sufficit, expendere posse. Prout habet communis doctorum, et paucis

indicat concilium Trident., sess. 23. de *Reform.* cap. 1. ubi « non solum jubet ut episcopi modesta suppellectili, et mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, aut vanitatem contemptum præferat. Quæ vero de episcopis dicta sunt, eadem etiam in quibuscunque beneficia ecclesiastica tam regularia, quam sæcularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari decernit. » Item dicit concilium Carthaginense, cap. xv. relato can. *Episcopus*. 7. dist. 41. illis verbis: « Episcopus vilem suppellectilem et mensam, ac victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide, et vitæ meritis quærat. » cap. xlv. autem relato can. fin. ead. dist. ait: « Clericus professionem suam et habitum, et inessu probet, et ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat. » Concordat illud sancti Bernardi epistola II. ad *Fulionem* canonic. Ludgundensem: « Dignum est, qui altari servit, de altari etiam vivat. Conceditur ergo tibi, ut, si bene deservis, de altari vivas, non autem, ut de altari luxurieris, ut de altari superbias. »

84. *Error circa hoc.* — Infertur haud dubie graviter errare, restitutionique obnoxios esse, et in periculoso animæ suæ statu versari illos clericos nobiles, qui status clericalis, et quod de patrimonio Christi, ac pauperum, seu de eleemosyna vivant, immemores, prætextu nobilitatis de bonis ecclesiasticis æque, vel etiam magis, splendide, ac similis conditionis vel status nobiles laici ordinarie se gerunt in victu, vestitu, famulatu, conviviis, cæterisque sæculi vanitatibus; post quos proin clament pauperes illis sancti Bernardi verbis epistola XLII. ad Senonensem archiepiscopum: « Nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod expenditis: nostris necessitatibus demitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. » (ADNOTATIO XXIX.)

## TITULUS XXVI.

## De Testamentis et ultimis voluntatibus.

1. *Ratio continuationis.* — Duplici de causa præcedentes titulos præsens immediate se-

quitur, uti notat Abbas, in *Rubric.* h. t. Primo, ut quia hucusque actum est de contractibus, et cæteris actibus, ac dispositionibus inter vivos, videatur etiam, quid juris, de dispositionibus mortis causa, testamentis nempe, et aliis ultimis voluntatibus. Secundo, ut materia peculii clericorum per immediate præcedentem titulum examinata, perfecte cognoscatur, dum ulterius indagatur, an, et quomodo de peculio suo, mortis causa, disponere possint clerici. Quamvis autem alias regulariter loquendo prius agatur de genere quam specie, indeque prius agendum videatur de ultima voluntate in genere, quam de testamento, utpote quod est species sub ultima voluntate tanquam genere comprehensum; cum omne testamentum sit etiam ultima voluntas, non tamen e contra. Nihilominus quia in rubrica ly *Testamentis* ponitur ante ly *Ultimis voluntatibus*; ipsumque testamentum est principalis species ultimæ voluntatis, prius de testamentis in specie, dein de reliquis ultimis voluntatibus tanquam secunda parte rubricæ agemus. Cæterum, quia materia de testamento est summe practica, indeque scitu summe necessaria, eandem juvante Deo, exacte simul et practice, servatis tamen brevitatis legibus, tradere conabimur.

## §

## DE NATURA ET DIVISIONE TESTAMENTORUM.

2. *Definitio testamenti.* — Quæritur I. Quid sit testamentum? Resp. I. Testamentum juxta nominis etymologiam sic appellatum, « quod sit mentis testatio, » prin. *Instit. de Testament. ord.* bene definitur dicendo: « Testamentum est ultima voluntas cum directa hæredis institutione. » Ita in re communis. arg. I. I. ff. *Qui Testament. facere possunt.* ubi testamentum a Modestino ita definitur: Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult. » Quæ definitio, licet a multis tanquam legitima agnoscatur, et recipiatur, nihilominus quia a nonnullis ob omissam particulam « cum hæredis institutione, » ut manca et imperfecta rejicitur, eo quod hæredis institutio sit de essentia testamenti, ut statim infra. n. seq. dicetur; hinc ad evitandam omnem inutilem controversiam, alia, eaque clarior, et in re tam cum definitione juris. quam aliis doctorum defini-

tionibus conveniens fuit posita. In qua dicitur primo « Ultima voluntas » loco generis, in quo testamentum convenit cum cæteris ultimis voluntatibus, seu dispositionibus, quæ mortis causa fiunt, quales sunt legatum, codicillus, donatio mortis causa, etc. Nominatur autem « Ultima voluntas, » non quasi post eam, nullum alium voluntatis actum quis exercere, vel aliam voluntatis dispositionem facere non valeret, sed quia non nisi per mortem, post quam alia dispositio amplius sequi non potest, confirmatur, et irrevocabilis redditur. Nam quandiu testator vivit, testamentum suum, quantumvis perfecte conditum, variare, vel revocare pro libitu potest. « Ambulatoria est enim voluntas testatoris usque ad vitæ supremum exitum, » l. *Quod si.* 4. ff. *de Adimend. legat.* Dicitur secundo, « cum directa hæredis institutione: » loco differentie essentialis, in qua differt a reliquis ultimis voluntatibus, utpote in quibus directa hæredis institutio non fit. Hinc

3. *Hæredis institutio est de essentia testamenti.* — Resp. II. Hæredis institutio est de essentia et substantia cujusvis testamenti, adeo ut sine ipsa nullum testamentum quantumvis privilegiatum valeat, vel subsistat. Communis ac certa, ob clara jura § *Imprimis igitur.* 2. *Instit. de Fideicommissariis hæred.* ibi: « Inutile est testamentum, in quo nemo hæres instituitur. » § *Ante.* 34. *Instit. de Legatis.* ibi: « Testamenta vim ex institutione hæredis accipiunt, et ob id, veluti caput, atque fundamentum intelligitur totius testamenti, hæredis institutio. » l. *Proxime.* 3. ff. *De his qui in testam.* ibi: « Non potest ullum testamentum valere, quod hæredem non habet. » Concordat, l. *Jubemus.* 29. c. *de Testament.* et l. X. ff. *de Jure codicill.* Quid autem sit hæres? quomodo hæredis institutio fieri debeat? et quid ei competat? Dicimus § 13. *de Hæredibus.*

4. *Ad quodvis testamentum certæ requiruntur solemnitates.* — Resp. III. Præter hæredis institutionem, requiritur etiam certa solemnitas extrinseca ad valorem testamenti. De qua tamen, quia non est eadem pro quovis testamento, sed diversa, major et minor, pro diversitate nempe testamentorum, agemus in §§ sequentibus, in quibus singula testamentum cum suis solemnibus eorum examinabimus.

5. *Testamentum aliud est publicum, aliud privatum.* — Quæritur II. Quotplex sit testamentum? Resp. testamentum varie dividi-

Et primo quidem (dimissis tribus antiquis veterum testandi formulis, de quibus § 1. *Instit. de Testament. ord.*) in testamentum publicum et privatum. Publicum est, quod auctoritate publica nititur; et fit dum testator absque alia juris solemnitate ultimam suam voluntatem ad acta tradit, vel precibus insertam principi offert ad hoc, ut fide et auctoritate publica sustineatur, ac defectus solemnitaturn suppleantur. l. *Omnia.* 19. c. h. t. *Privatum* est, quod testimonio, et auctoritate privatorum firmatur.

6. *Aliud solemne, aliud non solemne seu privilegiatum.* — Secundo dividitur in testamentum solemne, et non solemne seu privilegiatum. Solemne (ein zierliches, Testament) est, quod habet omnes solemnitates a jure requisitas. « Non solemne, seu privilegiatum est » quod ex speciali juris privilegio, etiam absque solemnitatibus alias de jure communi ad testamentum requisitis valet. Cujusmodi est testamentum militis in expeditione bellica factum: Testamentum parentum inter liberos: Testamentum ad pias causas: Testamentum factum tempore pestis: Testamentum rustici, ac etiam Testamentum publicum, id est ad acta traditum vel principi oblatum.

7. *Solemne aliud scriptum seu clausum.* — Testamentum solemne subdividitur in scriptum, seu clausum, et in nuncupativum. § fin. *Instit. de Testam. ord.* « Testamentum solemne scriptum (vulgo ein zierliches, Testament in *Schriften*) est, quod in scripturam redactum, subscriptum, et subsignatum est, servata juris forma, l. *Hæc consultissima,* 28. c. h. t. præscripta, fit. Tale facere solent illi, qui etiam testes latere volunt id, quod in testamento continetur; non enim nec esse est, ut testator testamentum scriptum prælegat, vel tenorem illius eis manifestet; sed sufficit si eisdem scripturam obsignatam, vel clausam aut convolutam exhibeat, dicendo in illa, seu in hoc papyro contineri suum testamentum, cit. *Hæc consultissima:* c. h. t. quod propterea etiam clausum testamentum dicitur: de quo plura infra.

8. *Aliud nuncupativum.* — Testamentum solemne nuncupativum (ein von Mund aus gesprochenes zierliches, Testament) est, quod sine scriptura, ac etiam sine subscriptione, et subsignatione testium fit; dum testator coram requisitis testibus hæredem ore tenus nominat, simulque indicat, quid de bonis suis post mortem fieri velit, § fin. *Instit. de Tes-*